

necessaria consequentia, qualem præbet regula: *si vinco vincentem te* §. c. adde §. 20. fin. Similis CASUS XVII. Statutum est: filiam excludi ab agnatis ad gradum tertium inclusivè, & agnatos ultra secundum gradum à fratre uterino. Moritur aliquis relicto fratre uterino A. Amita B. filia C. FUNDAMENTA LOCATIONIS. (1) *Frater uterinus excludit amitam* per d. statut. express. (2) *Amita filiam* per d. statut. express. (3) *filia consanguinea fratrem uterinum* per jus commune. *Socin. vol. 1. consil. 1. fin.* DECIDIT pro Fratre, & rectè per rationem decidendi casus præcedentis.

X X X L

Nunc deniq; ad perplexitatem in CONCURSU CREDITORUM deveniemus. Cujus exempla habent *Andr. Rauchbar. p. 1. quest. 4.* Apud quem est casus noster 10. 20. 21. 24. *Matth. Berlich. p. 1. concl. 49. per totum.* apud quem sunt nostri casus concursus creditorum omnes præter 18. & 22. Ex quo hausit quæ de talibus casibus habet *Johann Leib sup. cit. §. 10. tr. vom Vorgang der Glaubiger à pag. 62. usq; ad 68.* quemadmodum alias totus tractatus ex *Berlichio* extractus est. Porro *Dn. Carpzov. p. m. in definitionibus p. 1. c. 28. d. 175. 176. 177.* habet casum nostrum 19. 20. 23. & casum 19. repetit in *Responsis lib. IV. Resp. 17.* Sunt hi, quos dixi omnes juris Saxonici interpretes, & casus nostri 18. 19. 20. 21. sunt juris communis & Saxonici, reliqui Saxonici tantùm. Casus tamen 24. & 25. habebant locum ex Jure Saxonico D. Augusti, sed cessat eorum perplexitas ex Jure Saxonico D. Johannis Georgi primi, postquam constitutiones in Ordinatione Processus hac in parte non parum sunt immutatae. Cæterum, ut hoc quoq; addam, in jure Saxonico Joh. Georgius I. Gloriosissimæ Record. Princeps armis & toga inclytus, viam monstravit apertissimã, casus istos sine disputatione solveudi. Ita enim loquitur *Ord. Proc. t. 43. fin.*